

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0593

0591

0597

0587

0602

0582

0642

0542

0692

0492

1092

0092

Ende

Anfang

20

cepit Antiochus junior et multas molestias ex eo intulit Judaeis,
ut dicitur **2 Maccab. 11 et 13.**

Ab alia parte montis est fons ille, in quo Philippus bap-
tizavit eunuchum, ut suo loco patebit.

De Bethsura est respectus usque in Jerusalem, et poterant
hi, qui in Bethsura habitabant, dare signa his, qui in arce
Syon erant, et e converso, tempore bellorum. Consequenter
autem Bethsuram postergavimus et per vallem descendimus.

De fonte beatissimae Virginis Mariae.

Post descensum satis longum venimus inter duos monti-
culos ad unum fontem in medio monticulorum emanantem,
rigidas, claras et sanas aquas habentem, qui effluens val-
lem pertransit ipsamque irrigat et foecundat, et perutilis
est illi patriae. Hunc fontem dicunt meritis beatissimae
Mariae Virginis primitus ad ejus praesentiam emanasse,
quando de Nazareth ascendit et Elisabeth tribus mensi-
bus servivit. Volebat enim beata Virgo aquam recipere, et
puerperae Elisabeth portare tam ad domum inferiorem quam
ad superiorem; siquidem Zacharias dives erat sacerdos, et in
eodem loco villam habuit, hortos olivarum, siceta et vineta, et
in utroque monticulo habuit domum, et familiam pro se, et
pro bestiis alendis, et alternatis vicibus mansit nunc in **(190 A)**
illa, nunc in ista, secundum temporis qualitatem, et fons in
medio stabat et utrique domui deserviebat. Illo vero tempore,
quando beata Virgo venit ad salutandum et serviendum Elisa-
beth, habitabant in domo, quae humiliori loco stat, sed quum tem-
pus pariendi Johannem baptistam appropinquabat, in superiorem
domum ascendebat ipsa Elisabeth cum beata Maria Virgine,
et obstetricibus et famulabus. Zacharias vero cum viris et
servis inferius manebat. Olim enim non manserunt viri in
domibus puerarum, quamdiu tempus puerperii durabat.

De loco, in quo Elisabeth a beata Virgine salutata fuit.

Cum ergo de fonte beatae Virginis bibissemus, etiam
jejundo stomacho processimus ad latus sinistrum contra

